



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

V. Boguslav, Barnim und Otto, Herzöge von Pommern, bestätigen dem Kloster Gramzow seine in den Landen Stettin und Piritz gelegenen Besitzungen, am 22. März 1289.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

IV. Die Markgrafen Otto und Conrad vereignen dem Kloster Seehausen auf Antrag des Ritters Reiner von Lenz eine Getreidehebung von dem zwischen Poglów und Seehausen gelegenen Werder, am 5. Januar 1283.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Otto et Conradus, dei gratia Brandenburgenses Marchiones, Omnibus ad quos presens scriptum peruenerit salutem in perpetuum. Ne pro defectu memorie, que provida dispositione geruntur in tempore, mater erroris ingrata surrepat obliuio, expedit gesta in tempore seu gerenda litterarum beneficio perhennari. Quapropter notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod diuino afflato spiritu cenobio sanctimonialium Sehusen ordinis Cisterciensis ad petitionem fidelis nostri militis Reineri de Lenz, ob salutem nostram et progenitorum nostrorum proprietatem octo chororum tritici de insula, que est inter pozlawe et zehusen sita, dandorum annuatim ac perpetualiter donauimus de maturo virorum nostrorum consilio perhenniter possidendam, hoc quoque adjecto, ut quicumque insulam predictam coluerint, predictos octo choros tritici annuatim soluere prefatis sanctimonialibus tenebuntur. Hujus rei testes sunt milites nostri Conradus de Snetlinge, Hermannus de Reder, Bertramus et Fridericus de Eckstede, Diethardus de Woztrowe et alii fidedigni. Ne uero rationabilis hec nostra donatio a nostris successoribus irritetur, presens scriptum super hac editum ipsis sanctimonialibus donauimus, sigillorum nostrorum munimine roboratum. Actum Vitumantorpe in curia, Anno domini M^o. CC^o. LXXX^o. III^o., Nonas Januarii. Datum per manum domini Meynardi, nostre curie capellani.

L. v. Ledebur's Allg. Archiv III, 342.

V. Boguslaw, Barnim und Otto, Herzöge von Pommern, bestätigen dem Kloster Gramzow seine in den Landen Stettin und Piritz gelegenen Besitzungen, am 22. März 1289.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis amen. Boguslaus, Barnim et Otto, Dei gratia Duces Slauorum, Vniuersis Cristi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit in perpetuum. Quoniam generatio preterit et generatio aduenit et nullius rei certitudo sub celi ambitu continetur, necesse est acta principum, que sub defluente tempore ordinantur, legitimis documentis adeo perhennari, ut eorundem in posterum excludatur omnis occasio malignandi. Quamobrem reuerende nationi presentium et felici successioni futurorum presentibus decernimus esse transmittendum, quod nos predecessorum uidelicet dilecti patris nostri bone memorie domini Barnim et aui nostri junioris Bugslai, nec non proauis nostri senioris Bugslai, quorum deuocionibus humiliter inherentes, qui multas proprietates ecclesie Sancte Marie Virginis et beati Johannis apostoli et Euangeliste in Gramtzw diuine remunerationis intuitu deuote et liberaliter contulerunt et eandem primitus fundauerunt, ipsi etiam ecclesie ob spem remunerationis eterne simulque ad recompensationem damni, quod quandoque per nostros aduocatos, nuntios seu alios officiales nobis

scientibus vel ignorantibus ac inuitis siue quocunque modo sit illatum, villas videlicet Scherpingsdorp, Rodewitz, Grunetz, Blumenberch Teutonicalem et Blumenberch Slauicalem nec non dimidiam villam Petershagen, sitas in nostro territorio Stettinensi, insuper villas scilicet Lofitz, Beigersdorp et Marienwerder, sitas in terra nostra Piritz, contulimus et donauimus iusto proprietatis titulo singulas cum suis terminis iure perpetuo possidendas, cum omnibus vrbibus, agris cultis pariter et incultis, lignis, pascuis, aquis, pratis, piscationibus, molendinis iam constructis et in posterum construendis, cum aduocacia et iudicio manus et colli et cum omni iure, quod in eisdem villis vel eorum limitibus nominari poterit et haberi, Nulla etiam agrorum mensura futuris temporibus subsequente, Ita quod in dictis villis et earum terminis nichil nobis juris siue nostris successoribus, nisi tantum orationes dicte ecclesie, referuamus. Indulgemus etiam specialiter dicte ecclesie Gramtzow, vt vasalli eorum a nostris seruiciis cum faleratis dextrariis penitus sint exempti, prouiso nichilominus vt si hostes terram nostram inuaserint violenter, incole seu homines ecclesie memorate in ipsis bonis seu villis residentes in terra nostra tantum sicut aliarum ecclesiarum homines pro defensione prestent auxilium et iuuamen. Et si qua precaria vel exactio indicta fuerit terre de mansis siue agris, quos fratres uel eorum coloni dicte ecclesie Gramtzow per aratra sua coluerint, exempti sint penitus et soluti ac nulla prorsus impignorantia aut violentia seu grauamen qualecunque nec non turbationes quocunque nomine censeantur, per hospitia videlicet a nobis nostrisque successoribus, officialibus nunciisque nostris quibuscunque ac in seruitiis, que per vecturas curruum fieri possent, nec tallias vel exactiones in grangiis, prediis, curiis, villis siue aliis bonis eorum sitis in nostra ditone per aduocatos nostros nomine nostro vel nuntiorum nostrorum aliquatenus imponatur. Ipsam etiam ecclesiam prelibatam cum omnibus personis, bonis nunc habitis et habendis sub nostram protectionem et heredum nostrorum recipimus, Volentes ut eorum nuntii seu eorum homines, in nostri domini terminis sua negotia sub nostro conductu peragentes, ab omni exhibitione et donatione thelonii sint exempti. Et vt hujus nostre donationis deuotio prelibate ecclesie fiat quoad temporale subsidium fructuosa ac etiam vt a nemine hominum immutari ualeat vel infringi, presentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: Dominus Rudolfus, abbas de Stolp, Hermannus, abbas Colbatzensis, Hildebrandus, archidiaconus Stettinensis, Hinricus, prepositus sanctimonialium apud Stettin, Rodolfus, prepositus sancte Marie virginis in Stettin, Rodolfus de Nigenkerke, Gobelo, Nicolaus, dictus Drake, Fredericus, dictus Vofs, Euerhardus, dictus de Koldenbeke, Arnoldus, dictus de Vitzen, milites nostri, et quam plures alii fide digni. Actum et datum Treptow, per manum Hinrici, curie nostre notarii, anno domini millesimo ducentesimo octogesimo nono, Indictione prima, Epacta vigesima sexta, concurrente quinta, XI Calendas Aprilis.

Nach von Dreger's Abschrift des Originals.